Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1949

Quelle:
Copyright:

feſta ſunt opera carnis &c. et deſinens: *Ego iudicare nec debeo nec poſſum de morte Joannis Craus Doctoris Hallenſis.*

Fol. 31. Literae *Chriſtophori* Ducis *Würtembergici* ad *Carolum* Card. *Lotharingicum* datae *Stutgardiae 17. Julij Anno. 63.* Ineunt: *Salutem et parata noſtra officia. Reuerendiſſime princeps. Cum in mentem mihi ueniret Colloquium inter ueſtram dilectionem et me ſuperiore anno ad Tabernas Alſatias de præcipuis capitibus Chriſtianæ religionis et inter cętera de Miſſa quoque habitum* &c. Significat ſpem ſuam de abolendis *Tridenti ſuperſtitionibus magiis et idololatriis Miſſarum* decollaſſe viſis Decretis et Canonibus hac ſuper re. Mittere ſe *duos Libros de origine et compilatione Miſſæ*, obteſtarique Cardinalem, ut illos expendat. Ceterum agnoſcit hunc *in ſcripturis ſanctis et veterum patrum monimentis bene uerſatum doctrina eloquentia uſu rerum et authoritate multum ualere.*

Fol. 33. *Romani Schmiedt de Brenborg Syndici Vallenſis* Epigramma hexaſtichon *ad Regem Maximilianum*, 10. *Sept. a.* 1562. quod incipit:

Sic Aſiæ, Duce te, peregrina per æquora vecta
In noſtram veniat Grætia tota fidem &c.

Fol. 34. *Exemplum literarum ab Oxonio miſſarum de diſputatione Thomæ Crameri Archiepiſcopi nuper Cantuarienſis et Nicolai Ridleij nuper Epiſcopi Londonienſis et Hugonis Latemeri olim Epiſcopi Wigornienſis.* Idem, quod indicatum fuit alibi.

DI.

875 Codex chartaceus germ. Sec. XVI. Folior. 21. f. contendit, Electionem Epiſcoporum et Praelatorum non Eccleſiaſticis ſolum, ſed et Laicis competere, unde inſcribitur: *Gruntliche Beweiſung das die Wallen der prelaten vnd piſchoffen nicht allain den geiſtlichen, ſondern auch den laien gehöre, vnd das ſie die wallen ſeider Chriſto her biſs auff 1300 ihar gehabt haben.* Orditur: *Es weiſſaget der heilig prophet Gottes, das der laidige Antichriſt ſein reich damit mehren, vnd erhalten werde, das er wirdt die lender ſeinen mitbelffern, vnd furderern auſtailen vnd ſie zu groſſen herren machen.* Atque hinc Invectivae in Pontificem Clerumque Romanum prorumpunt, quibus Rationes e Verbo Dei, Praxi primorum temporum, Patrum Scriptis, antiquis Canonibus, et Ritualibus miſcentur, diſſimulatis tamen difficultatibus, quae ab incondita multitudine ſuffragium ferente ſeparari vix poſſe videntur. Obmovetur etiam Catholicis, quod quandoque Molitoris aut Olitoris Filio Epiſcopatum conferant, ut factum dicitur in *Sidonio*, quem perjurii accuſat Au-